

Q.K.
414
9.

X 1876796

D. O. M. S.

II i
642

DISSERTATIO HISTORICA

De

S. ANDREA
APOSTOLO,

Quam

Benevolo Collegii Philosophici
Consensu

IN ACADEMIA LIPSIENSI,

ad diem IX. Decembr. An. MDCXCVIII,

PRÆSIDE

DN. GOTHOFREDO
HANKIO,

Phil. Mag. & SS. Theol. Cult.

PLACIDÆ ERUDITORUM VENTILATIONI

submitter

AUTOR & RESPONDENS

JOHANNES POLIKE,

Philos. & SS. Theol. Stud. Vratisk. Siles.

LIPSIÆ,

Literis IMMANUELIS TITII.



J. Polike



[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]





J. N. J. C.

S. I.



Itam S. Andreae descripturi, meritò dicendi Exordium ab ipsius nomine facimus. Non autem conspirant in indaganda Nominis hujus Origine eruditi, cui alii Hebraicam, Græcam alii assignant. Tostatus Abulensis Episcopus in Matth. X. quæst. 32. Chrysostomum secutus, Andreae Nomen Hebraeum esse asserit, quia tamen nullum Sententiæ suæ profert fundamentum, cur album eidem adjicere Calculum debeamus, non videmus. In reliquorum potius transimus partes, qui Andreae Græcum asserunt esse Nomen, illudque *ἀνδρῆς* & *ἀνδρῆος* deducunt, atque Virilem, fortem, animosum significare volunt. Et certe quam optime hæc Nominis significatio Actionibus Andreae respondet, quippe in ipso vitæ exitu invictam animi fortitudinem, summam in patiendo constantiam, uno verbo dicam: Andream i. e. fortem se esse comprobavit. Aliis tamen Andreae nomen explicare placet per Decorum: sicut id ipsum legimus apud Isidorum, & in illo Hymno, qui vulgo Damaso adscribitur, de Andrea Crucem passo:

*S. Andreae
Nomen.*

*Decus sacrati nominis
Vitamque nomine exprimens:
Hoc Te Decorum prædicat
Crucis beatæ Gloria.
Andrea Christi Apostole,
Hoc ipso jam vocabulo,
Signaris isto Nomine
Decorus idem mystice.*

Cur autem Salvator Petri nomen mutarit, Andreae antiquum reliquerit, peculiaribus ex rationibus, quas etiam deducit, factum esse contendit Andreas du Saussay, Episcopus Tullensis in opere de Gloria S. Andreae lib. I. c. I. p. 6. (quod prodiit Lut. Paris. 1656. in fol.)

§. II.

Patria.

Quamvis ad magnorum Virorum raras & insolitas dotes Patria nihil, aut certe parum faciat, fortuita enim res, non arbitrii est, & telluris, ubi trahere Spiritum cœpimus, neque magna celebritas vilitati nostræ Colorem addit, nec ingens obscuritas detrahit nostræ Gloriæ: cognoscere tamen volupe est, quo suum ortum adeo illustria nomina referant. Andream debemus Bethsaidæ, quæ etiam Philippi Patria erat. Testatur id ipsum expresse Johannes c. I. v. 44. scribens: *Erat autem Philippus à Bethsaida civitate Andreae & Petri.* Hanc Bethsaidam Galileæ civitatem insignem fuisse Hieronymus in Indiculo de Locis Hebraicis Tom. III. p. 9II. asserit. Paulo prolixius tamen illius faciem nobis depictam exhibet Nicephorus lib. 8. Hist. Eccles. c. 30. ita scribens: *Bethsaida nobilis quondam Galileæ Civitas in ipso littore maris Galileæ condita, una è Decapoleos regionis urbibus hodie exiguus est pagus paucis admodum constans tuguriolis, Maurorum habitaculis: Aquilonaris Maris angulum occupat, juxta quem influit rivulus, limpidis*

pidis optimisq; aquis scatens, quæ in vicinũ mare Tiberiadis influunt. Huc usq; Nicephorus. Ex Sacris alias literis constat, hanc ipsam urbem longe maximis à Christo cumulata[m] fuisse beneficiis quippe ibi plures decumbentes solo tactu sanavit, cœco visum restituit, multosq; alios pristinae reddidit sanitati. Quæ tamen miracula ingratos Incolarum animos ad suscipiendum hunc verâ fide Ducem non commovebant. Quare detestandam eorum oscitantiam, malitiam inexcusabilem satis acriter exprobrabat Salvator, exclamans: Matth. XI. v. 21. *Vae tibi Chorazin! Vae tibi Bethsaida! quoniam si in urbe Tyrus & Sidonis factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in sacco & cinere pœnitentiam egissent.* Et licet ob summam hanc incolarum duritiem non levem sustineat maculam, tamen ob Triumviros illos Ecclesiæ illustrissimos, Andream, Petrum & Philippum, quorum & felix Genetrix & studiosa fuit Nutrix, immortalẽ Gloriæ suæ consecuta est famam Bethsaida.

§. III.

Patrem Andreas habuit Jonam, de quo præter nomen à Christo tribus prolatum vicibus nihil reperitur in Sacris Pandectis. Et quamvis expresse Jonas Andreae Patrens in Sacro non asseratur Codice, quia tamen Petrus Filius Jonæ, & Andreae perpetuum fere cognomen, Frater Simonis Petri, etiam Andreae Patrem Jonam fuisse liquido constat. Quis autem ex his Fratribus natum major fuerit, non consentiunt Historiæ Ecclesiasticæ Scriptores. Epiphanius (Hæresi LL. p. 192.) Andream Seniore[m] Petro fuisse contendit; cui tamen plures contradicunt Patres, qui Petro jus Primogenituræ vindicant. Inter quos Chrysostomus (in Sermone de S. Andrea à Surio citatus) Hieronymus (lib. I. adversus Jaun. p. 35. Tom. 2.) Cassianus (de Incarnat. Dom. l. 3. c. 12. p. 996.) Beda (Comment. in Joh.

Pater.

c. I. Tom. V.) aliique plures. vid. Gvilielmus Caveus in Antiquitatibus Apostolicis in vita Petri cap. 1. p. 196. (Editionis Lipsiensis.)

§. IV.

*Andreas acta
in Juventu-
te.*

Andreas hic noster in Juventute sua piscatotiæ Arti animum applicuit, sine dubio opportunitate loci ad hoc vitæ genus eligendum excitatus. Prope Bethsaidam enim Lacus Genesar, seu Genezareth, longitudine centum, latitudine quadraginta continens stadia, situs erat, qui abundantem varii generis Piscium suppeditabat copiam. Accedebat, quòd adjacens terra natura simul & pulchritudine admirabilis erat, Teste Josepho Lib. III. de Bello Judaico c. 18. Hinc etiam plures alii hujus Regionis Indigenæ invitabantur, ut Piscaturæ operam darent, & simul innoxium vitæ exercitium ducerent.

§. V.

*Andreas Jo-
hannis Ba-
ptista Disci-
pulus.*

Eo ipso autem Tempore Judæam insignis Messiaæ Præcursor, Johannes Baptista illustrabat: Qui doctrinæ præstantia, morum integritate, vitæ probitate, venerationem maximam apud Judæos sibi conciliaverat. Ab hujus ore pendeat noster Andreas, cujus concionibus constanter aderat, & in Discipulorum qui Johanni adherebant, numerum receptus erat. Hic Johannes Messiaæ Adventum à tot Regibus & Patribus exoptatum, à tot Propheetis prænunciatum, adesse, claris testimoniis, firmis Indiciis Auditoribus suis comprobabat. Cumque aliquando idem Johannes & ex discipulis ejus duo, (quorum unus Andreas) trans Jordanem starent, en! quem tot gravissimis verborum ponderibus Auditorum Animis impresserat, ipsis quoque jam exponebat oculis Messiam. Respiciens enim videt Jesum ambulans, dicitque adstantibus: Ecce Agnus DEI Joh. I. 35. 36 seq. Assurgebant Præceptoris sui dictis hi duo

duo Discipuli, nec hæsitabant ambigentes quid facerent, sed absque mora Agnum illum DEI à Johanne monstratum ardenti animo celerique gressu sequebantur. Conversus autem JESUS & videns eos sequentes se, dixit eis, quid quæritis? Probe quidem noverat benignissimus Salvator antequam respiceret, nihil eos quærere nisi ipsum: Sed ideo conversus eos aspiciebat, ut sui vultus splendore Gratia lumen eorum in Animas transfunderet, sui que ipsos Amoris Ardore inflammaret. Excepit mox Ignem cœlestem hoc divino trajectum in se conspectu Andreas cum Comite suo (quem nonnulli Johannem fuisse volunt) aitque, Rabbi ubi habitas? Sed quam benigne Christus hos ultro venientes excipit, quam suaviter allicit, quin ut & ipsa nocte, quæ jam imminebat, apud se commorentur, invitat: *Venite, inquit, & videte.* Refert Evangelista, *& venerunt & viderunt, ubi maneret & apud eum manserunt die illo.* Joh. l. v. 39. Postquam Andreas Suavissimam cum Christo transegerat noctem, mane discedens, festinus Fratrem quærere perrexit, ut eum tanti Thesauri secum efficeret participem. Felix respondebat Andreae desideriis Eventus. Petrum enim ardentem quæsitum, exoptate inventum, paucis exquisitissimis compellabat verbis: *Invenimus Messiam.* Merito tanto effusius exultabat Andreas, quanto majus ac diffusius esse bonum noverat, quod invenerat. Quare etiam tam diu instabat cœptis, donec re ipsa Fratrem ad Christum perduceret. Parem Petro accedenti exhibebat Benevolentiam JESUS, & postquam sermones cum eo miscuerat, novo condecoratum nomine dimittebat.

§. VI.

Reduces domum consuetis addicti Laboribus, procul dubio non sine magna animi voluptate summam Christi benevolentiam in memoriam sibi revocaverunt. Ast

lon-

*Vocatio ad
Apostola-
tum.*



longe majus adhuc Christi Beneficium eos expectabat. Ambulans enim Jesus juxta mare Galileæ vidit hos duos Fratres, Simonem qui vocatur Petrus, & Andream, Fratrem ejus, jacentes rete in mare, & dicit eis: Sequamini me & faciam vos Piscatores hominum vid. Matth. c. IV. v. 18. 19. Marci Cap. I. v. 16. quos postmodum in Apostolorum numerum receptos Sacri Scriptores confirmant. Matth. X. v. 2. Marc. III. 13, 18. Luc. VI. 13. Et ita vidimus, quomodo Andreas ad Apostolatum pervenerit, quem insigni hac Apostrophe compellat Mantuanus Fastorum Sacrorum lib. XI.

*Andrea, Germane Petri, Sanctissima Jona
Progenies, qui Baptista documenta viamque
Ante sequebaris, quam Te cum Fratre vocantem
Retibus acciret Soboles divina. - - -
Tu Galileus eras, tu circa littora cymba
Veſtabare, trahens varios ex gurgite pisces:
Sed sine Remigio Christus, sine retibus ullis
Te docuit piscari homines, Animasque vocare
Ex scelerum stagnis, stygiis paludibus orci,
Mittereque ingentem Divum in vivaria Prædam.*

§. VII.

*Acta in Apo-
stolatu*

Progredimur jam ad ea, quæ ab Andrea Apostolo gesta perhibentur. Cum autem nihil de iis sacræ suppeditent literæ, an, & quousque fidem adhibere debeamus, libero Lectoris judicio relinquimus. Optime hac dere celeberrimus Annalium Scriptor Baronius ad Annum XLIV. no. 41. *De Divisione & profectioe Apostolorum ad predicandum Evangelium Gentibus, res sane est perdifficilis investigata, ac potius mea sententia Brevitate tractanda, quam fabulis involvenda atque commentis exaggeranda.* Et paulo post: *Quod verò pertinet ad res ab ipsis gestas, postquam*

quam ab invicem semel separati sunt, Res quidem aequè perobscura est: Cum enim Apostolorum nomine tam facta quam scripta reperiantur esse supposititia: nec si quid de illis à veris sincerisque scriptoribus narratum sit, integrum & incorruptum omnino remanserit, in desperationem plane quandam animum dejicio, posse unquam assequi, quod verum certumque subsistat. Nos rem paucis expediemus. Admirandis Spiritus S. donis cumulati Apostoli, consilium de exequendo mandato, Prædicatione scilicet Evangelii, inibant, quod non sine singulari DEI directione executi sunt. Aliqui sorte ducta, quæ cuius destinata esset Provincia, hoc prædicandi munus obiisse existimant: Socrates Hist. eccles. lib. I. c. 19. Saussayus specialiore de hac sortitione determinat modum, scribens: Non temere censueris Apostolos Nomina insigniorum mundi partium chartulis inscripsisse, & in Urnam conjecisse, & post fusas ad Dominum humillimas fervidasque preces, unumquemque traxisse ejusmodi Indiculum, quo quæ signabatur Provincia censita est divina dispositione singulis obtigisse lib. II. c. IV. p. 115. Et hac Sortitione quidam ferunt Græciam affinesque Provincias obvenisse non sine omine. Gregorius enim Venetus in sua Harmonia mundi, Cantu 2do, Tono 7. à cap. 8. usque ad 12. duodecim Apostolos cum 12. signis Zodiaci confert: Constituuntur, ait, ab Astronomis in Cælo quatuor Trigoni, seu Trianguli, quorum minor est Trigonus orientalis, subjectus Geminis, Libræ & Aquario, atque hic Trigonus pertinet ad Simonem, Bartholomæum & Matthæum. Simoni olim obtigit Ægyptus, quæ est assignata Geminis; Bartholomæo Bactriana regio, Lycaonia & Armenia Libræ subjecta; Matthæo Æthiopia, quæ subdita est Aquario. In secundo Trigono meridionali, qui assignatur Tauro, Virgini & Capricorno Evangelii sparsere semina Andreas, Judas Thadæus & Thomas. Etenim Andreas prædicavit in Achaia &

B

Græ-

Græcia, quæ supponuntur Virgini, transiitque usque ad Thracas & Byzantios, quibus Saturnus dominantur & Capricornus. Quæ de reliquis Apostolis addit citatus Venetus, quia nostro non adeò inserviunt Instituto, hic recensere superfedemus; paucis saltem adducemus Saussay in Veneti verba illustrationem, scribentis: *Hinc igitur jam licet dispicere, quam convenienter ipsimet Apostolo Achaia in sortem obtigerit. Provincia hæc enim est (ut ex præmissa patet inductione) sub signo Virginis. Sicut igitur Christus matrem suam Virginem, Johanni Virgini custodiendam commisit: ita Andreas Achaiam signo Virginis subjectam Virgini Apostolo deputavit, in pura sui Evangelii doctrina, ac incorruptis Christianismi moribus erudiendam, suoque non solum Apostolico ore edocendam, ast & virginali insuper consecrandam sanguine.* Qui plures ejusmodi ingenii lusus desiderat, adeat Saussayum l. c. lib II. cap. VII. p. 144.

*Prædicatio
Evangelii.*

§. VIII.

Cæterum prædicasse Andream in Achaia Evangelium certum est, incertum autem, quem in convertendis reliquis Gentibus adhibuerit ordinem. In Scythiam profectum Andream, & huic multiplici Genti annunciasse Evangelium, Origenes in Genesin lib. 3. citatus apud Eusebium lib. 3. c. 1. p. 71. scribit. Nicephorus Hist. Eccles. lib. 2. cap. 39. & lib. 8. c. 6. observat, Apostolum nostrum prædicando Evangelium peragrassè Cappadociam, Galatiam & Bithyniam usque ad Pontum Euxinum. Prolixiorem Itineris Andream descriptionem, insigniorumque urbium, quas illustravit, Catalogum exhibet Saussay lib. II. cap. X. p. 162. Rem paucis proferemus: Summo Spiritus ardore docebat Andreas in Achaia, & magna indies Religio Christiana capiebat incrementa, (existimat enim Saussayus Andream initium docendi in Achaia fecisse) En! jussus Angelico Nuncio in Æthiopi- am celerrime proficisci, ut Matthæum ibi in teterrimo Carcere

cere detentum divina virtute eriperet, & ereptum dimitte-
ret ad divinum opus persequendum. Præstito sic Matthæo
felici auxilio, Amaseorum urbem (Amynsum alii vocant)
Evangelii Luce irradiavit. Inde in Synopem Civitatem
maritimam Ponti Galatici venit, ibi Cratini Civis præpo-
tentis Filium misere ægrotantem sanavit, Philologumque
Pauli Discipulum Episcopum ibidem ordinavit. Migravit
deinde Nicæam & in ea felicissimo successu Evangelium e-
docuit, suamque Doctrinam Dæmones expellendo, aliaque
miracula præstando confirmavit. Hinc egressus Nicome-
diam venit, quæ celeberrima Civitas primas Christianæ Re-
ligionis Radices Andreæ debebat, in quam ingrediens Ado-
lescentem à Dæmonibus discerptum revocavit in vitam, &
dono acceptum à Parentibus sibi in Discipulum adlegit, se-
cumque in Macedoniam duxit. Relicta Nicomedia Apo-
stolus navem conscendit, ingressusque Hellespontum fre-
tum navigabat, ut veniret Byzantium: ibi diu non hæsit,
sed hinc progressus venit in Thraciam; cum autem transi-
ret Argyropolim, ibi Stachidem Apostolicum Virum Episco-
pum constituit. Emenso hinc itinere venit Perinthum,
quæ, quia cultum Christi jam à Paulo susceperat, non diu il-
lic moratus est, sed ocyus in Macedoniam trajecit, & venit
Philippos, ibi à Philippensibus divine admonitis de ejus ac-
cessu, obviam ei properantibus, ingenti honore exceptus
fuit, non sine maxima miraculorum Gloria, rebus ibi ad DEI
beneplacitum ordinatis. Inde discedens Theffalonicam
processit, insignemque hanc urbem multis illustravit mira-
culis; Nam ibi sanavit Paralyticum, resuscitavit mortuum,
aliaque peregit longe maximi momenti; adeo, ut indies
cresceret credentium seges. Sed in hac ipsa urbe somni-
um habuit nocte, quod imminens Martyrium ipsi prænunci-
avit. Hinc igitur post biduum digressus navigio Patras ve-
nit, imo rediit. Nam inde (ex mente Saussay) tot peregri-



nationes olim exorsus erat. Eum ibi cum Antymo & aliis Discipulis appulsum, multi (quos primo illuc aditu Fide imbuerat) precibus sollicitarunt continuis, ut in domos eorum ingrederetur, quibus tamen Repulsam dedit. Singularem & hoc in loco habuit revelationem, dicentemque audivit vocem: Andrea, ego sum tecum & non derelinquā Te. Præterea notari meretur, Polixenam Virginem Hispanam, quæ Petrum & Philippum audierat, postea tandem ab Andrea victam & baptizatam. Andreas sic apud Patras degens, & pari zelo quam felicitate docens, iter facere Corinthum apud se constituebat, ubi cum aliquandiu ageret, venit ad eum quidam, senex septuaginta quatuor annorum, Nicolaus nomine, qui maximum vitæ tempus Scortationibus impenderat, hic, auditis Concionibus Andreae, ut ad meliorem rediret frugem, movebatur. Verum post paucos dies instigante denuo perverso carnis stimulo, Lupanar repetebat: Scortum, quod ambiebat, eum admittere volebat, dicens: Egredere senex, egredere, Angelus Domini es Tu, ne contingas me. Hac re obstupefactus senex, rectius animo recolebat delictum, quod patrandum sibi proposuerat, pœnitebatque, eum admissi, adibat Andream, ejusque precibus se commendabat. Andreas postquam ipsi exprobrasset grave hoc scelus, Precibus atque Jejuniis aliquoties iteratis, Gratiam divinam ei conciliabat. Discedens ita Corintho B. Apostolus, non recta Patras adiit, sed deflexit parumper, & Megariam accessit, quam ut visitaret, rogatus fuerat ad sedandam quandam Dæmonum incursionem, quam etiam feliciter finiit, & simul fusa prece cum manuum Impositione ægrotos sibi oblatos sanavit. Hinc digressus recto cursu contendit Patras, ubi appulsum obvios habuit Christianos adventum ejus cupide præstolantes, quo tamen in loco paulo post Martyrii Coronam adeptus est, de qua mox plura dicemus.

§.IX.



§. IX.

Breve hoc vitæ curriculum S. Andreae ex citato sæpius *Miracula.*
 Sauffayi Opere excerptimus, qui ut majorem dictis suis acqui-
 rat Autoritatem, ad vetustissima de S. Andrea provocavit
 Acta, quæ tamen cum non nominet, aut ubi inventa sint, &
 hodie lateant, addat; an assensum de Andrea hæctenus nar-
 ratorum apud omnes sit accepturus, judicare hic nolumus.
 Paulò alium tamen Itinerum B. Andreae ordinem & circum-
 stantias nobis dedit Gvilielmus Caveus, quem, ut ipse fate-
 tur, debet Commentario Græco de S. Andrea Apostolo &
 πρωτοκλήτω, qui extat in Menæis Græcorum λ' & Νοεμβρ. p. 6.
 lit. π. Quoniam verò laudati Cavei Liber de Antiquitati-
 bus Apostolicis his annis in Germanicam translatus est lin-
 guam, & ita in omnium versatur, certe versari potest, mani-
 bus, benevolum Lectorem eò remittimus. vid. Antiquit. A-
 post. Cavei in vita Andreae p. 482. seq. Hoc saltim adjici-
 mus: Tradiderat Sauffayus, Andream Argypoli agentem
 Stachyn ibi constituisse Episcopum, quod tamen Byzantii
 factum fuisse duo Nicephori affirmant. Nicephorus Calli-
 stus quidem in Hist. Eccles. lib. 2. c. 39, l. 5. c. 6, & lib. 8. c. 7.
 Nicephorus autem Constantinopolitanus in Chronographia
 à Scalig. edita p. 309. Imo addit Codinus de Ædificiis Cpol.
 p. 59. num. 124. Andream Byzantii non tantum Stachyn E-
 piscopum Ecclesiæ S. Irenæ transfretum ordinasse, sed & ibi
 Tabernaculum struxisse, docuisse, & propria manu signum
 Crucis ex Lapide sculpsisse inque Templum S. Irenæ collo-
 casse. Alias notat Picinellus in Symbolis virgineis Symb.
 20. p. 275. magnam Andreae cum B. Virgine Maria interces-
 sisse Familiaritatem, quæ etiam diem suum emortualem, ab
 Angelo ipsi annunciatum Andreae nostro aperuerit. Quod
 tamen suo relinquimus loco.

§. X.

Reduci Corintho Patras Andreae obviam properabat *Martyrium.*

B 3

in-

ingens Fidelium turba. Fremebant interea Sacrificuli Gentiles, inque necem Apostoli conspiraverant. Rem deferrebant ad Ægeam Achaiaë Proconsulem, aliã tunc in Provincia degentem, clamabant ibi, Andreã esse exitiosum novæ Religionis Præconem, Deorum Hostem, publicæ tranquillitatis Adversarium; asserebant porro si unicum hunc tantæ perniciæ Autorem è medio tolleret, eum opus Diis pi-um, Imperatori gratum, Reipublicæ saluberrimum præstiturum. Et ut eo citius ad sua eum pertraherent vota, (quia Avarum esse noverant) muneribus corrumpabant. Assurgebat eorum Desideriis excoecatus Ægeas, confestim Patras tendebat, Pietati bellum indicturus. Ingressus itaque Patras Civitatem Proconsul, ad sacrificandum Idolis compellere cœpit Christianos. Cui occurrens S. Andreas dixit: Oportebat, ut Tu, qui Judex hominum esse comprobaris, Judicem tuum, qui in Cœlo est, cognosceres, cognitum coleres, & colendo eum, qui verus DEus est, ab iis, qui veri Dii non sunt, Animum revocares. Cui Ægeas, Tunc ille es Andreas, qui Deorum templa subvertis, & suades hominibus novam superstitionem, cujus Auctor Jesus vester, à Judæis Crucis patibulo affixus fuit? Ad hæc cum placide respondisset Andreas, Proconsulem in doctrina Christiana paulo uberius informabat, & objicientem fortissime refutabat. Ast iratus Ægeas Andreã in Carcerem conjecit. Verum parum aberat, quin populi multitudo, quæ ex totã ferme Provinciã advolaverat, Ægeam occideret, Andreãque è Carcere liberaret. Sed S. Andreas excitatæ ad seditionem plebi omni conatu Pacis quietisque studium commendabat. Sequenti die ad Tribunal suum Andreã vocabat Ægeas, partimque blanditiis, partim minis, ut Dîs libaret, permovere nitebatur. Qui tamen, postquam exprobrasset Proconsuli impudentiam, reponebat: Quicquid Tibi videtur in suppliciis majus, excogita. Tanto enim meo Regi ero ac-

acceptior, quanto pro ejus nomine fuero constantior in
tormentis Confessor. Hæc re multò magis exacerbatus
Ægeas, flagellis cædi extensum Apostolum jubebat. Verum
cum hæc patienti Animo superasset Apostolus, denuo ad
blanditias conversus Ægeas Andream compellabat: Audi
me Andrea, & ab effusione sanguinis tui consilium revoca:
Quod si non feceris, Crucis Tibi supplicium erit subeun-
dum. Cui Andreas, Ego Christi Crucis servus, Crucis Tro-
phæum optare potius, quam timere debeo, neque enim de mea
passione, sed de tuo interitu plane conturbor: Passio enim
mea, unius aut duorum est dierum, tuus autem Cruciatu
nulla unquam temporis longinquitate finem accipiet; un-
de desine tibi tuas augere miseras, & vel ex mea tandem
Perseverantia fidem amplectere. Eam Apostoli libertatem
graviter tulit male sanus Ægeas, ideoque, Crucis suppli-
cio eum adjudicabat: Et ut se mori sentiret, mandabat Qua-
stionariis, ut ligatis pedibus & manibus, quasi in Equuleo An-
dreas tenderetur, ne clavis affixus citò deficeret. Adstans
Turba, cum abduci videret Andream, clamoribus Aërem
replebat, dicens: Justus Homo & Amicus DEI, quid fecit,
ut ducatur ad Crucem? quorum tamen impetum piis Ad-
monitionibus compeſcebat Andreas. Cum autem para-
rum sibi eminus patibulum conspexisset: O Crux, inquit, diu
desiderata, & jam concupiscenti Animo præparata, securus
& gaudens venio ad te, ita, ut & tu exultans suscipias me.
Hæc dicens expoliavit se, & vestimenta sua tradidit carnifi-
cibus. In Cruce biduum pendens Animam DEO commen-
dabat, Auditoresque suos ad constantiam Religionis Chri-
stianæ semel acceptæ admonebat. Interea vadit Populus
ad Ægeam, & ut deponeret Andream de Cruce, adigere vo-
lebat. Verum Andreas, ne hoc expleretur Populi Deside-
rium, ardentissimis à Deo obtinebat suspiriis. Repente
enim de cælo adfuit splendor, qui eum circumdans, adstan-

tiuum

tium aciem ita obtundebat, ut penitus in eum oculos defigere non possent: Perseveravit autem Lux illa dimidiæ fere horæ spatio, quâ deinde discedente Spiritum simul emittebat. Scite Mantuanus Lib. XI. Fastorum hanc rem describit, Andream loquentem sic introducens:

*Christe fave, succurre Animæ terrena perosa
Omnia, & in superos tua me Clementia tollat.
Talibus orantem DEus audit: Ecce repente
Aureus erumpens Hominem circumstetit Ardor,
Et longis mens functa malis, in sidera fugit.*

§. XI.

Cruce.

De Cruce autem B. Andreae, utrum ex ligno olivæ confecta, an decussata vel recta fuerit, anxie inquirere non sedet Animo, videantur Lipsius & Gretserus in scriptis suis de Cruce, quibus addi merentur Chiffletius in sua Vefontione parte 1. cap. 48. p. 203. seq. item Molanus de Imaginibus, alique plures.

§. XII.

Sepultura.

Ægeas interea nondum exsatiatus Andreae sanguine cruentum denuo vovebat consilium, de Sancto Corpore ferri Rogo injiciendo; sed Populi fremitu exterritus, factum hoc differebat. Ast, ecce, Fœmina quædam (quam Nicephorus Ægeæ uxorem fuisse autumat) nomine Maximilla, Senatrix, statim ut cognovit Andream perrexisse ad Dominum, accessit ad Crucem, nec sine Reverentia deposuit corpus, & condidit Aromatibus, inque loco, quo se constituerat sepeliendam, illic eum sepelivit. Hæc re compertâ Ægeas iratus publice detestatus Maximillæ Populique facinus, provocavit ad Cæsarem. En in Conspectu tot hominum à Diabolo arreptus est, & in medio foro Civitatis volutatus miserime exspiravit Animam. Vide omnino Epistolam de Passione & Martyrio Andreae, quæ à Presbyteris & Diaconis Achaiaë tanquam oculatis testibus ad Ecclesias in Oriente & Occi-

occidente, meridie & septentrione constitutas scripta perhibetur, quam Mombritius Lipomannus & Laurentius Surius in vitis & Actis Sanctorum ediderunt. Eandem R. Laurentius de la Barre Historiæ suæ Christianæ inseruit, ut taceamus, Andreae du Saussay operi de Gloria S. Andreae, sæpius hæctenus citato hanc ipsam Epistolam esse additam. Quam Epistolam etsi pro genuina venditent inter alios Bellarminus (de Script. Eccles. p. 46.) Natalis Alexander (Sæc. I. parte 1. p. 109.) Labbeus (Tom. I. Script. Eccles. p. 3. & in Add. p. 677.) & præ reliquis Andreas du Saussay, eam tamen spuriam esse multis documentis, consentientibus Johanne Wittho Episcopo Wintoniense à Coco in Censura Patrum p. 105. allegato, recentioribus Eliâ du Pin (in Bibliotheca Scriptorum Eccles. T. I.) & Domino de Tillmont (in Memor. Hist. Eccles. T. I. parte 3. p. 1058.) more solito, id est, accurate evicit Venerandus Præceptor noster, Thomas Ittigius in Dissertatione de Patribus Apostolicis, præfixa Bibliothecæ Patrum Apostolicorum §. 25. & 26. p. 56. sqq.

§. XIII.

Evangelium, quod Andreae vulgo adscribitur, inter spuria ex merito referri scripta, res clara est. Quippe à Gelasio Episcopo Romano in Synodo Romana LXX. Episcoporum inter Apocrypha relatam, fatente id ipsum Andrea du Saussay loc. cit. lib. II. p. 148. Plura hac de re vide in Excellentissimi Viri Thomæ Ittigii Appendice Dissertationis de Hæresiarchis cap. IV. §. 13. p. 125. Cæterum de sepulchro B. Andreae Gregorius Thuronensis scribit, singulis annis in Festo memoriæ Andreae Sacro, ex sepulchro illo pretiosum & amabile emanasse oleum, cujus uberius fluxus Annonæ ubertatem, fluxus parcior Annonæ caritatem indicaverit. Addit porrò, ægrotos hoc oleo tinctos pristinae redditos fuisse valetudini. Qui plurimum ejusdem Farinæ miraculorum lectione delectatur, adire poterit Andream du Saussay toto libro IV. prolixè hæc prosequentem: Et ex quo multa hausit, Cæsarium Heisterbatensem in opere de miraculis & Visionibus in Germania potissimum factis lib. VIII. cap. 56.

Scripta.

C

§. XIV.

Reliquia.

Progredimur jam ad Reliquias B. Andreae, quae passim exhiberi solent, quorum insignem Catalogum nobis dedit non sine magno labore collectum, ut ipse fatetur, Andreas de Saussay in opere saepius citato, integris Lib. III. & IV. quem paucis comprehensum verbis Lectori communicabimus. *Caput*. B. Apostoli Romae in Basilica S. Petri servatur, de cuius ex Achaia in Italiam translatione & solenni susceptione agit du Saussay lib. III. cap. V. p. 422. Caterum Capitis non minimam partem Bruxellis quoque in Archiducali oratorio ostendi idem ibidem testatur. p. 460. *Barba* S. Andreae longa ad minimum uno Palmo, & nivis instar candida circumspersis tamē capillis nigris, Massiliae in Praedicatorum templo exhibetur. *Dens* B. Andreae in Elnonensi monasterio ordinis S. Benedicti reperitur: item in Jardinensi monasterio: porro in Floreffiensi Canobio ad Sabim fluvium, tandem Ogniaci ad Sabim in S. Nicolai Canobio. *Corpus B. Andreae* quanta Pompa Constantinopolim transvectum, & in Templo à Constantino M. eum in finem extructo collocatum sit, prolixè describit idem Autor (p. 394.) Quod tamen Corpus ab occidentalibus Christianis, Graecorum Victoribus Constantinopoli Amalphim translatum tradit idem p. 446. *Bracchium* S. Andreae Lutetiae Parisiorum in Ecclesia Metropolitana B. Mariae exhibetur. *Aliud Bracchium* S. Andreae, Ecclesia Cathedralis Abrinensis in Provincia Rothomagensi, item *aliud* Monasterium Casae DEI, ordinis S. Benedicti, Claromontensis Dioecesis veneratur. *Os quoddam* ex Bracchio S. Andreae Durocorti Rhemorum in Archimonafterio S. Remigii colitur. Namurci in S. Albani Cathedrali templo *Junctura Bracchii* S. Andreae, *Medietas Bracchii* in Latiensi canobio exhibetur. *Pes* S. Andreae Aquis Sextiis conservatur. *Oleum medicum* & odoriferum manans ex S. Andreae ossibus, ostenditur Duaci. *Pars Vestimentorum* S. Andreae Trajecti ad Mosam in Ecclesia collegiata S. Servatii. *Cruce* S. Andreae Massiliae ad S. Victoris aedem colitur. Particulas quasdam Cru-

Crucis Andreanæ in Flandria, item Tornaci, item Parco ordinis Præmonstratensis juxta Lovanium reperiuntur. Tacemus alias S. Andreæ Reliquias à citato Autore passim adductas.

§. XV.

Nec sicco à nobis pede prætereunda *Ædificia*, in honorem S. Andreæ extructa. Eminent inter ea Templum majus Constantinopolitanum à Constantino M. in honorem Andreæ ædificatum. Præterea Andreæ decorata nomine Tempia, & quidem in Italia reperiuntur Mantuæ, Neapoli, Ravennæ, Genuæ, Monasterium Vercellis, Amalphitana ædes, Archiepiscopalis in Regno Neapolitano; In Gallia Burdigalensis, Agathensis, Abrincensis; In Anglia Episcopalis Roffensis, sub Metropoli Cantuariensi; In Scotia, Andreopolitana; In Germania, Colonia Agrippinæ, & Wormatiæ; In Hispania, Toleti, Exaladæ conspiciuntur. Transeo alia minoris momenti templa, *Ædificia*, Auditoria, à Decem Pontificibus Romæ, aliisque alibi extructa, quorum ultra C. adhuc numerat Saussay loc. cit. lib. VI.

*Ædificia in
ejus Hono-
rem extru-
cta.*

§. XVI.

Singularis tamen affectus est, quo B. Apostolum nostrum profecutus est illustris Ordo Equitum aurei Velleris. Nam non solum commemoratus hic Ordo in honorem B. Andreæ à Philippo Burgundiæ Duce A. R. S. 1430, ut ex diplomate ejus videre licet, institutus, verum ad propensionem majorem, quâ in Apostolum fertur, comprobendam, comitia sua in Feriis S. Andreæ celebrare solet. Præ reliquis tamen admirationem meretur, quod Crucem decussatam, sive Andreanam pro perpetuo insigni habendam esse summa Lege decreverit. vid. Meyerus in Annalibus Flandricis lib. XVI. p. 326. (Edit. Francofurt. 1580.) Franciscus Mennenius in libro cui Titulus est: *Militarium Ordinum Origines, statuta & insignia*, & plures alios scriptores adducens Sandæus in libro: *Maria Patrona Orat.* 3. in fine, quibus addatur citatus Tullensis Episcopus Andreas de Saussay lib. V. cap. V. p. 516, sq.

*Veneratio
Andreæ ab
Equitibus
Aurei Velle-
ris.*

§. XVII.

QX Ti 642
Preces.

§. XVII.

Plures alios Cultores, qui B. Andream sibi Protectorem, Patronum & Dominum elegerunt, silentio transmittimus, quorum Preces nobis exhibent Romanensium ita vocari solita Breviaria. Et quem latent Preces stolidæ ancillarum, quas Venus improba vexat, ideoque ardentius matrimonium anhelantium, quibus in Vigiliis S. Andream Apostolum hunc implorant:

Ach Sanct Andres / erbarme dich /
Und gieb mir einen Mann /
Und weil ich dir ihn izt nicht recht beschreiben kan /
So komm und bring' ihn diese Nacht /
Daß er vor meinem Bette lacht /
So bin ich wohl daran.

Aliam Cultricum harum formulam lepidamque Historiam recenset Celeberrimus Tentzelins in Colloquiis menstruis Anno 1690. mense Septembri pag. 879.

§. XVIII.

Nos hic Pedem figimus, & quamvis multò plura de Andrea scribi posse non dubitemus; confidimus tamen & hic Benevolum Lectorem quædam non ingrata esse inventurum, quod, si obtinuerimus, nobis de labore non inutiliter suscepto gratulabimur. Cæterum Benignissimo DEO pro præstitis Auxiliis decen- tissimas persolvimus Grates, quem ut Studiorum nostrorum Patronum Supremum devote veneramus; ita ut hunc Laborem nostrum in sui Nominis Gloriam, quam unice intendimus, promoveat, submisse rogamus.

D. S. G.

C O R O L L A R I A.

- I. *Andream uxorem habuisse probabile est.*
- II. *Historia Ecclesiastica Theologo & utilis & necessaria est.*
- III. *Scriptores Ethnici à Christianis non sine fructu legi possunt.*
- IV. *In Bruta pœna proprie dicta non cadit.*

℞) ○ (℞

1077

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8

Centimetres

KODAK Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2000

Kodak

LICENSED PRODUCT

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

